

Vsus denique syrporum multiplex est. Vulgarissimus vero est ad humorum expurgandorum præparationem, & obstructionum reparationem, quo facilius humores expurgantur.

De Saccharo eiusque differentia.

C A P. XIX.

CVm sacchari frequentissimus in medicamentis vsus sit, necessum est, de eo quædam dicere.

Saccharum duplex est, aliud natuum, aliud factitium: Illud liquore est, qui in India & felici Arabia ex arundinis suæ oculis effluens, tum per se, quia turget, lacrymæ alicuius instar, tum etiam solis attrahente facultate elicitus, principio liquidus qui denide à sole super arūdines in grumos pisi, fabæ aut auellanæ magnitudinem concrescit, candidus, pellucidus, salis instar friabilis, qui antiquis cognitus, à Dioscoride & Galeno inter mellis species relatus. Quare Dioscoridi sacchar. melium & concreti mellis genus: Galeno sacchar; Paulo saccharum, Plinio saccharon dicitur; Archigeni, sal Indum, propter concretionem sali similem, & quia salis modo sub dentibus trietur, propter candorem, & quod liquefiat, cum humore aliquo diluitur. Aliis mel calaminum seu arundinaceum dictum fuit: quod saccharo cando arte parato simile fuit, cuius succedaneum esse potest.

Factitium, aliud veterum, aliud recentiorum. Veterum ex radicibus arundinum & ipsis cannis exprimitur.